



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Instructio practica ...**

De Horis Canonicis Juxta Rubricas Breviarii Romani ritè recitandis - In qua etiam ipsæ Rubricæ Notis brevibus illustratæ, & Martyrologij Romani nomina suis Accentibus signata continentur, Ad Faciliorem Discentium Vsvm Ac Praxin

**Lohner, Tobias**

**Dilingæ, 1676**

Tit. IV. De Occurrentia & Concurrentia Festorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48333](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48333)

tunc enim ab his diebus nihil amplius de Octava dicitur, atque adeò in pridianis Vesperis etiam nullam amplius de ea commemorationem fieri debere putat Gavantus *Seft. 3. c. 8. n. 9.* cum sequenti die nihil de ea fit faciendum; sed hoc merito in dubium revocari posset, eò quòd dies illa infra Octavam, quæ verbi gratiâ in 16. Decembris cadit, tanquam Semiduplex verè requirat secundas Vesperas, aut commemorationem, nisi Festum solemne subsequatur, atque adeò saltem hoc titulo de illo aliquid fieri debeat.

V. Si Dies Octava in Dominicam privilegiatam cadat, Vesperas primas recitari debere cum Psalmis Sabbati, & à Capitulo de Dominica, ait Gavantus *l. c. n. 13.* & ita se petente S. Rituum Congregationem die 9. Novembris 1622. decidisse: additque Commemorationem Diei Octavæ in primis Vesperis (ut in Laudibus & secundis Vesperis) fieri debere post Commemorationem Dominicæ privilegiatæ, etiam si Dominica cum sequenti Festo Duplici concurrat. *Ibid. n. 14.*

VI. Dies Octavæ omnes (exceptis Octavis Christi Domini) sunt ejusdem Solemnitatis, unde si una concurrat cum altera, dividet Vesperas cum illa, quod idem etiam cum Duplicibus, uti & Dies infra Octavam cum Semiduplicibus concurrentibus faciunt.

VII. Si Festum Semiduplex concurrat cum Dominica privilegiata simul & Octava, Vesperæ usque ad Capitulum de Semiduplici dicentur, de quo etiam fieri commemorationem debere, antequam fiat Octavæ commemoratio, putat Gavantus *l. c. n. 22.* eò quòd Semiduplex habeat dimidium Vesperarum.

#### TITULUS IV.

#### DE OCCURRENTIA ET CONCURRENTIA FESTORUM.

I. **O**ccurrere duo Festa dicuntur, quando eodem die per se Officium de se dici cupiunt: Concurrere verò, quando duo Festa novem Lectionum, quorum alterum hodie, alterum cras celebrabitur, hodiernas Vesperas exigunt. Unde patet, quòd nullum Festum Simplex aut Feria cum alio

A 5

sequen

sequenti concurrere possit, eò quòd non habeat secundas Vesperas.

II. Porro etsi satis fusa & perplexa sit hæc materia, si eam, prout in Rubricis proponitur, considerare velimus, potest tamen non modicum Tironibus ad eam faciliùs addiscendam subsidium afferri, si Tabulas Occurrentiæ & Concurrentiæ bene intelligere studeant, vix enim ullus occurret casus, quem non ex illis decidere poterunt, maximè si sequentes regulas ad eundem finem bene observent.

III. Prima Regula: *Quandocunque in Proprio de Tempore aut Sanctorum reperitur particularis aliqua dispositio, cessant Regula generales in Rubricis proposita.* Hinc quia in Proprio de Tempore præcipitur, ut in Festo S. Joannis Apostoli fiat commemoratio de S. Stephano, hoc ipso cessat universalis Regula in Tabula Occurrentiæ assignata, quâ dicitur, Duplici secundæ Classis, & Die infra Octavam occurrentibus nihil de sequenti fieri debere.

IV. Secunda Regula: *Quandocunque dies aliquis non privilegiatus cum privilegiato occurrit, cessat dispositio generalium Rubricarum de Occurrentia & Concurrentia.* Hinc quia Dies infra Octavam Paschatis & Pentecostes, Feria IV. Cinerum, & Hebdomadæ Majoris, Vigiliæ Nativitatis & Pentecostes omne Festum excludunt, uti S. Rituum Congregatio 28. Aug. 1627. decrevit, frustra in eorum Occurrentia vel Concurrentia ad generales Regulas & Tabulas recurritur.

V. Tertia Regula: *Quandocunque duo Festa quoad dignitatem inæqualia occurrunt, vel concurrunt, minus dignum cedere digniori debet iuxta exigentiam illius, ita, ut si transferri possit, omnino transferatur; si verò loco affixum sit, vel commemorationem tantum habeat, vel si dignitas Festi id postulet, omnino eo anno omittatur.* Quod autem Festum sit dignius altero, partim *ex generali ratione*, id est, Duplicis vel Semiduplicis; partim *ex speciali*, quòd nempe sit Festum Christi, B. Virginis, Angelorum &c. colligi potest, uti in toto Titulo 2. & 3. num. 3. videre est. Circa quem tamen posteriorem Ordinem notandum est, quòd, etsi ex duobus Confessoribus non Pontificibus unus esset Abbas, alter Laicus: aut ex non Virginibus altera Vidua, altera non Vidua, neutrius

neutrius hujus qualitatis consideratio in Ordine ad majorem dignitatem conciliandam habenda sit. Magis verò ad hunc finem servit, si cæteris paribus, unus Confessor v. g. ab aliqua particulari Ecclesia solemniter celebraretur, tunc enim meritò præferretur alteri Confessori in Calendario notato. Idem dicendum foret, si in pari gradu solemnitatis alter esset Patronus universalis, alter particularis Ecclesiæ. Hinc si occurreret Festum Patroni alicujus Templi cum Festo SS. Apostolorum Petri & Pauli, hoc utpote ad universalem Ecclesiam pertinens præferri deberet alteri, ut rectè notat Arnaudus Tit. II.

VI. Quarta Regula: *Quandocunque duo Festa equalia concurrunt, dividere debent inter se Vesperas*, ita ut de priori Psalmi, de posteriori Capitulum cum commemoratione præcedentis dicatur. Dixi autem *Concurrunt*: nam occurrere duo omnino æqualia de facto non solent, eò quòd ad Pontificem pertineat, talium Festorum, quæ occurrere alioqui possent, alterutrum ad alium diem in perpetuum transferre.

VII. His suppositis non erit difficile, praxin Tabularum Occurrentiæ & Concurrentiæ addiscere, maximè si sequentia bene observentur. 1. Quòd Superior ordo Festorum aut Feriarum ex parte sinistra rectâ lineâ positus, & alter ex parte dextra obliquâ lineâ positus significet Festa aut Ferias, quæ occurrere aut concurrere possunt. 2. Quòd in Tabula occurrentiarum perinde sit, sive Festum aliquod aut FERIA in Superiore lineâ rectâ, sive in inferiore obliquâ quæ- ratur, ut mox in exemplo practicè ostendetur; in Tabula concurrentiarum verò semper Festum aut FERIA præcedens in Superiore rectâ, subsequens verò in inferiore obliqua quærendum sit. 3. Quòd numerus ille ex parte dextrâ signatus, in quo conveniunt, significet eundem numerum in partis dextræ lineâ inferiore per numeros distinctâ quærendum esse, is enim significabit, de quo Officium dicendum, vel commemoratio facienda, vel Translatio suscipienda sit.

4. Quòd in eadem linea per numeros distinctâ, si v. g. dicitur: *Officium de Primo, commemoratio de Secundo*, per *primum* intelligatur Festum in linea rectâ notatum, per *secundum* verò Festum in linea obliqua indicatum. 5. Quòd si interdum in concursu loco numeri litera O inveniatur, ea si-

gnificet, nunquam inter duo talia Festa aut Ferias occursum aut concursum fieri posse, cum uno posito, hoc ipso alterum non habeat jus ullum exigendi, ut eo die de se Officium vel commemoratio fiat.

VIII. Ut autem hæc tota doctrina & praxis utriusque tabellæ in pratico exemplo ostendatur, primum pro Tabula Occurrentiæ exemplum hoc esto. Supponatur v. g. in primam Dominicam Adventûs Dedicatorem propriæ Ecclesiæ cadere. Hoc supposito, quæratür prius in Tabulis præcedentibus Festorum dignitatem significantibus, quale Festum sit Dedicatio, & qualis Dominica sit Dominica prima Adventûs, & invenietur utrumque esse primæ Classis. Quæratür ergo in superiori linea, in qua cellula reperiatur Duplex primæ Classis, & in prima invenietur. Tum simili modo in linea obliqua Dominica primæ Classis quæratür, & pariter in prima reperietur: ascendatur ergo ab hac prima cellula obliqua per lineam rectam usque ad numerum cellulæ primæ rectæ respondentem, & numerus unitatis deprehendetur, qui quæsitus in linea recta partis dextræ per numeros distincta significabit, Translationem de primo, id est, Duplici; Officium verò de secundo, id est, Dominica dicendum esse. Alterum exemplum pro Concurrentia hoc esto. Supponatur hodie esse celebratum Festum Semiduplex, & sequenti die Duplex minus per annum celebrandum. Hoc supposito quæratür in superiore linea, in qua cellula Semiduplex notetur, & in octava invenietur; pariter ergo in linea obliqua Duplex minus per annum inquiratur, & in sexta cellula reperietur; ab hac ergo cellula per lineam rectam ascensus fiat ad numerum tertie cellulæ Superiori (in qua Semiduplex notatur) respondentem, & numerus tertius invenietur, qui in linea per numeros distincta quæsitus indicabit, Officium de secundo, id est, Duplici, commemorationem de primo, id est, Semiduplici faciendam esse.

IX. Ne verò quisquam in uno vel altero casu per similem inquisitionem deceptus, putet falsas esse prædictas regulas, diligenter legere & observare debet exceptiones, quæ eisdem Tabulis subjunguntur; illæ enim indicare volunt, in casu, quem ipsæ exprimunt, Tabellas illas usui non esse, sed id, quod in his paragraphis notatur, observandum esse.

esse. Verbi gratia: Supponatur Semiduplex in Feriam quartam Cinerum, quæ est FERIA MAJOR, cadere. Hoc supposito, si in Tabella Occurrentiæ dicto modo numerus, in quo Semiduplex & FERIA MAJOR occurrunt, indagetur, inventus quartus significabit Officium de Semiduplici, commemorationem de FERIA faciendam esse, quod tamen falsum est, quia inter exceptiones mox subjunctas §. 1. indicatur, quodcunque Festum in die Cinerum occurrens transferendum esse.

## TITULUS V.

DE TRANSLATIONE  
FESTORUM.

I. **H**Æc materia, si ulla alia in Breviario, dignissima est, ut à Novis Sacerdotibus bene addiscatur. Etsi enim plerumque Directoria Diocesana ad manum habeant, quia tamen in his propria cujusque Ecclesiæ festa non notantur, facile sanè contingere potest, ut, si DEDICATIONIS, PATRONI vel TITULARIS Festa in Hebdomadam, in qua multa Festa alia occurrunt, incidant, ejusmodi Directorium propter varias Translationes faciendas per aliquot hebdomadas servire non possit; unde si Sacerdos regulas in Translatione observandas non calleat, plurimos sanè errores committat, necesse est: quas tamen si bene didicerit, etiam sine Directorio facile sciet, quo modo per totum annum Officia sint disponenda. Quatuor autem universim de hac materia Translationum scienda sunt. 1. Quæ Festa transferri possint, aut debeant. 2. In quos dies transferri debeant. 3. Quo tempore. 4. Quo ritu celebrari debeant Festa translata, de quibus omnibus seorsim breviter agendum est. Itaque

II. Q. 1. *Qua Festa transferri possint, aut debeant?*

R. Sola Festa Duplicia & Semiduplicia, & interdum etiam Dominica (si scilicet ea juxta Rubricas præcedenti hebdomade fit celebranda, uti quandoque contingit) ac Vigilia si in Dominicam incidat, tum enim in Sabbatum præcedens transfertur. Dies autem Octava, FERIA, & simplex Festum nunquam transferuntur, sed vel de ijs commemoratio facienda est, vel omnino omittuntur.

III. Q. 2. *In quem diem Translatio facienda sit?* R. Uni-

versim